



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IV. Vt cuncti Albigensium haereticorum consortium fugiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI  
1163.  
cuntur aliquoties  
inuenire:  
dum vacare afferunt, alant : dum quidam fratrum, & co-  
episcoporum nostrorum, aliorumque prælatorum  
ecclesiæ decimas eis, & ecclesiarum dispensationes  
indulgent, & in deuia eos mortis impellunt, qui  
prædicatione ipsorum ad vitæ viam fuerant reuo-  
candi. De quibus dicit Dominus per prophetam :  
*Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem pro-  
uocant animas eorum.* Vnde statuimus, vt si quis  
alicui laico in sæculo remanenti ecclesiam deci-  
mamque concederit, a suo statu tamquam arbor,  
quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & do-  
nec se emendet, lapsum suum deflens, \* subiaceat  
dolore prostratus.

I V.

In partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum  
emersit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca  
se diffundens, per Guasconiam & alias prouincias  
quamplurimos iam infecit. Quæ dum in modum  
serpentis intra suas euolutiones absconditur, quan-  
to serpit occultius, tanto grauius periculum in sim-  
plicibus commolitur. Vnde \*contra eos, episcopos  
& dominos sacerdotes omnes in illis partibus com-  
morantes vigilare præcipimus, & sub intermina-  
tione anathematis prohibere, vt vbi cogniti fuerint  
illius hæresis sectatores, ne receptaculum quisquam  
eis in terra sua præbere, aut præsidium impertire  
præsumat. Sed nec in venditione, aut emptione a-  
liqua cum eis omnino \* commercium habeatur; vt  
solatio saltem humanitatis amisso, ab errore viæ suæ  
resipiscere compellantur. Quisquis autem contra  
hæc venire tentauerit, tamquam \* princeps iniqui-

Zz iij

tatis eorum, anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per catholicos principes custodiæ mancipati omnium bonorum amissione mulctentur. Et quoniam de diuersis partibus in vnum latibulum crebro \* conuenerunt, & præter consensum erroris nullam cohabitandi causam habentes, in uno domicilio commorantur: talia conuenticula & inuestigentur attentius, & si \* vera fuerint, canonica seueritate vitentur.

V.

Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum patrum constitutiones inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituantur: id ne fiat modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

VI.

Non \* satis vtiliter in populo avaritia redargiatur, si ab his qui in clero constituti videntur, & præcipue qui, contempto sæculo, religiosum nomen profitentur, regula quam susceperunt non obseruatur. Prohibemus igitur, ne ab omnibus, qui ad religionem transfire voluerint, alia pecunia requiratur: & ne prioratus, aut capellaniæ quælibet monachorum, aut clericorum, decimæ detractione vendantur: neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione exigatur. Hoc autem simoniacum esse, sanctorum patrum auctoritas manifeste declarat. Vnde quisquis de cetero